

www.e-rara.ch

Lexicon medicum graeco-latinum

Stupanus, Emmanuel

Basileae, 1639

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Bn 35 (1)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99875>

R.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

RADENS bilis. *Vide* Ater succus, Atra bilis, & Acida bilis.

Radius. *Vide* Cubitus.

Radice[m] vasis, seu venæ, vocant priorem ejus partem, Jecinori vel Cordi propiorem: hæc in collo ab inferiore est parte, in brachiis & cruribus à superiore. 5. meth. 3.

Ramenta, sunt membranarum in intestinis rasura, aliquando cruentosa. 1. de loc. aff. 4. *Vide* Strigmenta.

Ramex, Hernia, Græcè Cele, est omnis in Scroto tumor, sive ex delapsu Intestini, sive Omenti, sive Vasorum spermaticorum, varicis, topi, sive lenti humoris, sive aquosæ substantiæ. lib. finit. med. Fit autem & aliquando Ramex in inguine, quoties validus ille Tendo membranæ, qui ante inguina ortum habet, & pubis ossi inseritur, laxescit, ejusq[ue] robur infirmius factum, & cum eo totus inguinum locus laxior redditus, partes quasdam corporis subjacentium, veluti sunt intestinorum, vel omenti, in sese recipit. 4. de anat. adm. cap. 6. *Vide* Celas.

Ranula, tumor est phlegmonodes, sub lingua consistens, potissimum in pueris, Græci βάρταρον vocant. Dicuntur quoq[ue] Ranæ, sublinguales venæ, sanguine copiosiore distentæ.

Rarefacientia medicamenta (Aræotica Græcis) sunt, quæ cutis meatus reserant. 5. simplic. 14. *Vide* Anastomatica.

Rarum corpus est, cujus partes multis spatiis inanibus, aëre plenis instructæ: econtrà corpus densum, seu spissum, quod ejusmodi porositatibus carens, compactum est. 1. simplic. 13. Sive, Rarum corpus est, quod meatus & poros magnos habet. 2. de sanit. tuend. cap. 5.

Rarus

Rarus pulsus. *Vide* Creber pulsus.

Rascetta. *Vide* Brachiale.

Rationalis Medicorum secta est, quae naturae rationem & ductum secuta, morborum causas inquirat, & signis ad illarum inventionem utitur, curationem capiens à contrario, prout causae exigunt. lib. *Introd. cap. 3.*

Raucedines. *Vide* Branchos.

Recidiva febris est, quam pravorum humorum reliquia putrescentes, de novo accendunt; cum omnis humor alienus à natura corporis, in quo continetur, aptus non sit ad ejus nutritionem, & proinde necessarii ad putredinem convertatur. 2. *aph. 12.*

Reciprocus pulsus. *Vide* Deficiens, & Recurrens.

Reciprocus decurtatus. *Vide* Deficiens decurtatus.

Recrementum. *Vide* Callosum corpus.

Recrudescencia, ulcera maligna vocat: & Recrudescere, quasi rursus cradum fieri, atque in pristinam malignitatem quippiam redire, statuunt Medici. 2. *de fract. 28.*

Recta futura Calvariae. *Vide* Obelæa.

Rectum Intestinum (quod & extensum, & longum, quin & Intestinum princeps vocatur) est ultimum intestinorum omnium, quod ad sedem usque porrectum est: 6. *de anat. adm. cap. 9.* ad cujus finem est Sphincter, i. e. constrictorius musculus; ad cujus distinctionem reliquam intestini recti partem infimam, quam maxime dilatatur & laxatur, laxam appellamus. lib. *de vulva dissect. cap. 1.*

Recurrentes nervi. *Vide* Nervi recurrentes.

Recurrens pulsus est, qui in quantum excurrit magni-

gnitudinis aut vehementiæ, in aliis rursus ad tantundem recurrit. lib. finit. med.

Reduvia. Vide Paronychia.

Restrictio. Vide Anarriphsis.

Regius morbus est, qui amarā bilem in toto corpore redundantem comitatur: fiunt perinde ut Erysipelata & ulcera serpentia, cum eadem amara bilis unam quampiam particulam obsidet; nigram verò bilem in toto quidem corpore, Elephantiasis; in una quampiam particula, Cancer subsequitur. Pituitoso excremento, in toto quidem corpore luxurianti, succedit hydrops Leucophlegmatias dictus: cum in unâ insedit particulā, tumor œdematosus oritur. 3. de sympt. caus. cap. 2. Vide Aquarus, & Icteros.

Relaxantia medicamenta, Græcis Chalastica, familiariori omnibus propè recentioribus Medicis vocabulo, inde nimirum dicta, quod tensas laxant particulas; quippe relaxari ac intendi, contraria inter se dicunt. 7. de compos. med. per gen. cap. 9. Vide Chalastica.

Remissio febris, secunda totius circuitus paroxysmi pars mitior, ad infebrecitationem properans; in duo siquidem periodus universa divisa est, in accessionem & remissionem. lib. de totius morbi temp. c. 8. Vide Ablatio.

Remissus pulsus. Vide Vehemens.

Renes, νεφροί, corpus sunt densum, ex carne & fibris constitutum, adeoq; carnea substantia, non paucas habens involutiones, figurā Græcæ literæ C, aut phaseolis similes, habentes in medio cavitatem quandam, quā ex venis & arteriis serosum excrementum excipiunt: ad Renes enim non majores solum venæ, (quarum aliæ in cavitatem hanc inferuntur, aliæ in membranā, quæ eos tegit) sed meatus

ius etiam capillis modò exiles deferuntur. Renes siti, paulò
altius quàm ilia, à quibus duo urinarii meatus emergunt,
per quos ad vesicam urina deducitur. Renum operatio est,
secernere, & percolare serosum excrementum, à sanguine.
lib. de ren. aff. dign. cap. 1.

Repanditas. Vide Obstipitas, Quassatio, Cy-
phosis.

Repercutientia. Vide Attrahens.

Respiratio, & Respiratus. Vide Inspiratio, &
Transpiratio.

Resolutio nervorum, est deperditio motus, cum pri-
mis in aliqua corporis parte, non autem semper sensus; si
enim deperditur sensus, dicitur sensus resolutio. 3. de loc.
aff. 10. Licet ejusdem capitis initio, dicat: Ubi omnes pari-
ter nervi tum sensum, tum motum amiserint, Apoplexia
hæc affectio appellatur; ubi verò alteri laterum soli, aut
dextro, aut sinistro id accadat, resolutio, ejus scilicet
partis, in qua consistit affectio, interdum dextra, inter-
dum sinistra; quòd si in aliquo membrorum idem evenie-
rit, ejusdem membri resolutio, Græcis paralyfis esse dice-
tur. 3. de loc. aff. 10.

Resolutus oculus, qui naturali motu destitutus, neq;
sursum, neq; deorsum moveri potest, verum sensus expers fit:
frequenter id mali, partibus etiã oculi accidit. l. Inrod. c. 15.

Restitutio, est osis vel membri in propriam sedem
collocatio, reductio, & repositio. 3. de fract. 38.

Rete. Vide Omentum.

Retentrix facultas. Vide Attraatrix.

Retiforme corpus, est tunica, aut tunica quid simi-
le, humorem vitreum oculi ambiens, ex Cerebri portione,
aut verius ex nervo optico supernè descendente atq; am-
plifi-

plificato conflatum, reti simile, quod ipsum corpus, cum à Choroide, i.e. tenui Cerebri tunica, quæ illi supernè demittitur, continetur, proin tunica oculi, choroides, i.e. secundina nominatur. 10. de us. part. c. 2. Vide Choroides.

Retiformis plexus. Vide Flexus variciformis, & Amphiblestroide.

Retina, est panniculus, vitreum humorem oculi circumdans ad instar rete: cui annectitur alius, qui dicitur secundina, quodd secundina sit similis, juxta quem tertius est, qui ossa contingit, durus & solidus, unde scliròs dicitur. lib. de ocul. cap. 2.

Reversiva febris nominatur, quæ non est acuta, sed diuturna, & imperfectas habet solutiones, erroneasq; accessiones. com. 2. in 6. de morb. vulg. 21.

Revulsio, est evacuatio alienæ materiæ per loca opposita. Vide Purgatio, & Derivatio. Est autem revulsio faciendâ, deorsum quidem, ubi succi ad superiora feruntur; sursum, ubi ad inferiora vergunt: & ubi introrsum, ad exteriora; ubi extrorsum, ad interiora: ubi dextrorsum inclinant, in sinistrum; si sinistrorsum, ad dextram revulsio faciendâ. Sic ergo fluxiones, quæ retrò inclinant, in priora revellendæ; quæ in priora, in posteriorem regionem abducendæ sunt. lib. de Hyrudin. c. 2. & lib. de Derivat. cap. 19. Motum hunc Græci Antispasim vocant. Vide Antispasis, Derivatio, Purgatio.

Rhabdoides sutura, eadem est ac recta capitis sutura. Vide Obelæa.

Rhachitæ, aut Rhachicæ, sunt dorsales musculi. 4. de anat. adm. c. 6. & 7. aph. 36. Unde Rhachitis medulla, i.e. spinalis medulla, quæ & Rhachis spina dicitur. Vide Dorsum, Medulla.

Rha-

Rhacodes, i.e. lacerosa, dicitur universa cutis, erosa instar laceræ vestis, à pure circa abscessum aggregato sufficienter extenuato: idq³ accidit, ubi qui ad abscessum perveniunt tumores, tardè secti fuerint, aut ob medicantium imperitiam, aut eorum, quibus medela adhibetur, timiditatem, qui secari non patiuntur, sed expectant, ut longiori tempore cutis à pure rodatur. 2.ad Glauc.8.

Rhacosis, i.e. detritio, multa scroti extensio est. lib. finit.med.

Rhagas, i.e. scissura, fissurave, divisio est labia obtinens, callo obdurata, dura. lib. finit.med.

Rhagades, sunt rugæ ani intumescences, rimæq³ ac fissuræ sedis, i.de comp.med.loc.cap.8. quæ & rimæ ledis dicuntur, non aliter quàm labra, quandoq³ & manus, ex vehementi frigore, fissæ conspiciuntur.

Rhages, dicuntur extremi digitorum fines, qui Græcis νογυρὰι vocantur.

Rhagois tunica, aliàs cœrulea, uvea, & uviformis dicitur, est oculi panniculus, albugineum humorem tangens, & circumdans, nigri coloris; undè uvea tunica, ab uvarum colore, dicitur: post quem est alius panniculus, cornu similis; undè Ceratoides, i.e. corneus appellatur, juxta quem est tertius non circumdans alios, sed eos inter se jungens, quem Conjunctivam vocant, & Adnatam, sive Agnam. Inter crystallinum autem & albugineum est tela aranea. lib.de ocul.cap.2. & lib.Introd.cap.11 & 10.de usu part.cap.4.

Rhappe, i.e. sutura, commissura, syntaxis serrata. Vide Commissura.

Rhegma, i.e. ruptum, est solutio continuitatis in vase: ut, Fractura in osse; Convulsio seu Spasmus in nervo; Apopsa-

Apospasma in ligamentis ; *Thlasma* in musculis ; ita *Rhegma*, in vasis, ex violento ictu, vel gravi casu, vel alio quopiam valente motu excitata, est unionis solutio. 4. meth. 1.

Rhetidosiſ, i.e. oculi tabes, & corrugatio. 3. meth. 2. *Vide Tabes oculi.*

Rheuma, i.e. fluxio, & humorum decubitus. 1. de comp. med. per gen. 4. *Vide Fluxio.*

Rheumaticus vocatus affectus provenit, quando toto videlicet corpore infirmo, & cachectico, principibusq; partibus (paulum licet ipsis insit sanguinis) gravari solitis, noxios humores, illæ, ad carnosas cutis partes protrudunt, potissimumq; ad adenas, excipiendis recrementis idoneos, tum ob substantiæ laxitatem, tum quia omnium partium minimè robustas habent naturales virtutes, sicut & pinguedo; partes enim infirmiores, omnium primæ excrementitiis morbis corripuntur. lib. de cur. rat. per sang. cap. 8. *Fluentibus* verò humoribus, *Rheuma*, seu *Fluxio* dicitur; cum verò in aliqua parte iidem illi constiterint, is affectus, qui inde generatur, *Rheumaticus* appellatur. 2. ad Glauco. cap. 2.

Rhexis, i.e. ruptio, ab ictu, vel aliâ quâpiam causâ violentâ, in alto, totas subindè membranas dividēs, & persæpè humores, quibus videndi facultas administratur, effundens. lib. Introd. cap. 15.

Rhodinum. *Vide Oxyrhodinum.*

Rhodomeli, i.e. mel rosaceum, quod aliquando simplex, interdum purgatorium paratur.

Rhœas, sive *Rhyas*. *Vide Encanthis.*

Rhogme, est ossis ruptio sive interruptio, per superficiem rectâ, vel angustâ, vel latâ. lib. finit. med.

Rho-

Rhopalosis, concretio est summorum pilorum indivi-
sibilis, cum inhibito ipsorum incremento. lib. finit. med.

Rhus, ῥῆς γυναικῆς, fluxus muliebris, seu pro-
fluvium foeminarum, propriè apud Medicos significat
menses albos decolores, fluente sanguine assidue penè &
inordinatè per uterum: longèq; diversa fluxio est ab eâ,
quâ fluit sanguis per uterum, menstruis periodis; cum illa
prater naturam sit, hæc verò secundum naturam.

Rhyas, est oculorum vitium, quando meatus, qui ab
oculis in palatum desinit, vel obstructus, vel connivens,
excrementa, non ad loca consueta transmittit, sed in ocu-
los regurgitare permittit. com. 2. in 6. de morb. vulg. 32. Vi-
de Rhœas, & Encanthis.

Rhypodea medicamenta sunt, quæ à sordium simi-
litudine, quasi strigmentosa nominantur. 2. de comp. med.
per gen. cap. 1.

Rhyptica sive extergentia medicamenta nomi-
nantur, quæ in superficie, sive in cute, sive in ulceribus sor-
dem auferunt; quæ verò altius poros ab excrementis suis
repurgant, ea Ecphractica, & Eccathartica (quasi ex-
purgantia, & ab infarctu liberantia dicas) appellantur.
5. simplic. 12.

Rhythmus in pulsu, est proportio temporis ictus, ad
tempus quietis. 1. de differ. puls. cap. 7.

Rigor, ῥίγῃς, est insiti caloris exagitatio, cum sensu
doloris subita, & universim facta. lib. de tremor. convuls.
cap. 6. Nominatur etiam Rigor, Nervorum convulsio, &
Tetanos. 3. de loc. aff. 10. Est autem propriè sic dictus, con-
cussio & commotio inaequalis totius corporis, à tenui &
magis acri, copiosioriꝝ humore, quàm qui in horrore pec-
cet. 3. de san. tuend. 5. & 1. de sympt. caus. c. 8. Vide Frigus.

Rigor sine febre, nonnullis quidem accidit semel, nonnullis autem per vices interpolatas multorum dierum interjecto spatio, vel à principio usq; ad finem continuatur; aut est ita omnino exiguus, ut neq; adesse videatur, cum se quieti tradiderint, sed cum moveri cœperint, tunc demum eum sentiunt; aut etiam sine motu molestus, accidit pituita humore redundante, sed non putrescente; quando autem hic humor etiam putruerit, non modò rigent, sed etiam febricitant agri. 2. de differ. febr. cap. 5.

Rob. Vide Succum medicarum.

Ros, tertia est humiditatis species, unde partes nostri corporis nutriuntur, quæ continentur in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam, per earum substantiam sparsus. 7. meth. 6.

Rotula. Vide Patella.

Rubra bilis. Vide Bilis pallida.

Ructus, est flatûs excretio per gulam: cum & alius sit, qui per intestinum rectum secernitur. comm. 5. in 6. de morb. vulg. 4.

Ruptura. Vide Unionis solutio.

S

S A C C U S. Vide Cœcum Intestinum.

Sacer morbus (*ἱερά νόσος*, i.e. Epilepsia) dicitur, quod ejus magnitudo designetur; sacrum enim apud Antiquos significat magnitudinem. Alii verò sacrum dici putant, quod divinus esset, & à diis in peccatorum vindictam mitteretur: quos Gal. reprehendit, lib. 2. de caus. sympt. cap. 3.

Sacer ignis, i.e. Erysipelas. lib. de purg. med. fac. Licet Celsus, ignem sacrum, pravam ulcus existimat dici.